



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Quæstio I. De Existentia & Essentia Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

quo spectat etiam Omnipresens. 6. Immutabilitas. 7. Aternitas. 8. Incomprehensibilitas. 9. Ineffabilitas. Quorum posteriora duo respectu dicunt ad creaturas, ab ijsq; denominationem sumunt; cetera non stem. Attributa posterioris generis, que ad operationes Dei pertinent, assignantur à S. Thoma hæc tria, scientia siue Intellectus Dei, Voluntas, & Potentia. De Essentia igitur ipsius Dei primum; deinde de attributis eiusdem in genere; hinc in specie de attributis Dei ad operationem eius non spectantibus; ac prius quidem de septem absolutis; ac deinde de respectivis; deniq; de attributis Dei ad operationem eiusdem pertinentibus, quo etiam Idea diuina pertinent, recto ordine tractatur; idq; ea distributione, ut ex his qua breuem habent tractationem, nonnunquam plura in vnâ quaestione coniungantur; cetera seorsim singulis quaestionibus absoluantur. Cupimus enim methodum ac dispositionem aptare rebus ipsis tractandis; non tractationem ac res methodo, siue distributioni nostræ.

## QVÆSTIO I.

## De Existentia ac Essentia Dei.

S. Thom. 1. p. q. 2.



**A**bsoluetur hæc quaestio quinq; dubijs. I. Qua sit notio nominis DEI. II. An Deum esse, sit per se notum. III. An, & qua ratione demonstrari possit, Deum esse. IV. Quibus rationibus demonstratur, Deum esse. V. Qua sit ratio essentiae diuinae; & an formaliter includat existentiam, aliasque perfectiones quasdam Dei essentielles.

## DVBIUM I.

## Qua sit notio nominis Dei.

S. Thom. 1. p. q. 2. a. 2.

**P**receptum Aristotelis est, lib. 4. Metaph. text. 10. & ratio ipsa dicitur, ut de re aliqua disputaturi, prius de terminis, seu ratione nominum, quibus in disputatione vtendum est, conueniant. Quod in hoc argumento grauissimo imprimis faciendum. Tria autem fere sunt, in tribus sacris & principalibus linguis, vltatissima nomina Dei. Quod enim latinis est *Deus*, græcis est *θεός*, Hebræis *El*, aut *Eloah*, siue *Elohim*.

Et quanquam alioqui ipsorum eiusmodi nomen variis soleat esse in scriptura vsus: cum aliquando etiam rebus creatis, vti Idolis, tribuantur, Exod. 32. v. 8. *Isti sunt dii tui Israel.* & cap. 32. v. 31. & 37. & sæpe alibi, vbi de Dijs gentium sermo est, vt Deuter. 29. v. 18. 2. Paralip. cap. 32. v. 13. 14. 17. Ierem. 2. v. 28. Nonnunquam etiam Iudicibus & Magnatibus accommodentur, Exod. 21. v. 6. *Offere: eum Dominus Dys*, &c. Et cap. 22. v. 28. *Dys non detrahes, & principi populi tui non maledices.* Et Psal. 81. v. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum: in medio autem Deus dydicat.* Et v. 6. *Ego dixi, Dy estu,*

*filij excelsi omnes: propriè tamen, & ex prima sua impositione, Substantiam intelligentem, ab omnibus creatis rebus distinctam, ac superiorem omnibus, significat; vt notauit etiam S. Thomas 1. p. q. 13. art. 9.*

Idque ipsum etiam eiusmodi nominum etymon indicat. Dicitur enim Hebræis *El* à radice *Eial*; quod significat fortitudinem. Hinc omiſſa litera *Iod*, *El*, Deus, à fortitudine, quasi per excellentiam *fortis* dicitur: quia vincit, & valet super omnia, nec est quisquam, qui voluntati siue potestati eius possit resistere. Esth. 13. v. 9. Iob. 9. v. 4. & 13. & cap. 41. v. 1. psal. 75. v. 8. Siquidem *Potestas & terror apud eum est*, Iob. 25. v. 2. Et sæpe aliàs in scriptura *Fortis* & *Potentis* nomen, siue Encomium, Deo tribuitur.

Eandem vim & significationem, à quacunq; demum radice deriuatum (id enim non constat) habet nomen *Eloah*; & in plurali numero *Elohim*; quod siue ad designandam pluralitatem personarum diuinarum, siue ob idiotismum linguæ Hebraicæ, ad Maiestatem Dei significandam, velut honoris causa, ita pluraliter Deo tribui solet: quamquam id ipsum etiam nomen in scriptura Angelis tribuitur psal. 137. v. 1. Vbi enim nos dicimus, *In conspectu Angelorum ipsallam tibi*; in Hebræo textu, pro vocula, *Angelorum*, legitur, *Elohim*.

Nomen

4 Nomen verò græcum Θεός optime deriuat S. Gregorius Nazianzenus homil. 5. in Cant. ἀπό τοῦ Θεοῦ ὁ Θεός, siue Θεῶν, quod est videre, quia Deus videt & intuetur omnia; nihilque absconditum est oculis ipsius, sed omnia sunt nuda in conspectu Dei, Qui ergo, inquit, omnia adspicit, & intuetur; ex eo, quod omnia intueatur nempe ἀπό τοῦ Θεοῦ ὁ Θεός nominatur Deus vniuersorū. Et in oratione ad Ablabium prolixè eius nominis vim & notionem inuestigans, ita scribit: sed exactius nobis excutiendum est ipsum nomen Deitatis, ut per eam, quæ inest voci, significationem, aliquid nobis adiumentum accedat ad declarationem proposita quaestioni. Vox igitur Deitatis, vulgi quidem opinione, naturæ peculiariter indita esse videtur; ac quemadmodum vel celum, vel sol, vel aliud quippiam, ex mundi elementis, peculiaribus vocibus, subiectorum significatricibus denotatur; ita autem, in suprema quoque atque diuina natura, tanquam proprium quoddam nomen, vocem Deitatis aptè accommodatam esse ei, quod (per eam) declaratur. Nos verò scripturæ documenta sequentes, inominabilem & inexplicabilem eam esse dicimus: & omne nomen siue ab humana consuetudine adiumentum, siue à scripturis traditum fuerit, aliquid denotandi vim habere dicimus eorum, quæ circa diuinam naturam esse intelliguntur; ipsius vero naturæ non continere significationem. Atque hæc ita esse, haud magno negotio demonstrari potest.

Et infra: Quoniam igitur, inquit, varias supernæ potentia efficacias animaduertentes, à qualibet nobis notâ efficaciâ appellationes adaptamus, atque vnâ nimirum etiam hanc efficaciam (seu vim) inspectatricem ac visitatricem, & vt aliquis dicere possit, Θεωρῶν, id est, spectatricem, esse cognoscimus, quia omnia inspicit, omnia intuetur, cogitationes videns, & vsque ad ea, quæ spectari non possunt, contemplatrice virtute penetrans, οὐτως Θεός, id est, visio & inspectio, Θεωρῶν, id est, Deitatem denominatam esse existimamus; & τοῦ Θεοῦ ἡ οὐσία, id est, inspectatorem, contemplatorem nostrum, & Curatorem, Θεός, id est, Deum, & à consuetudine, & à scripturarum doctrina appellari arbitramur. Quod si quis concedit, id esse, τοῦ Θεοῦ ὁ Θεός, id est, spectare, & τὸ θεῶν, hoc est, videre, atque omnia ἐφορῶν, hoc est, inspectorem, Θεός, id est, Deum, ἐφορῶν, hoc est, inspectorem, & Perfectum summam rerum, & esse, & dixi; consideret hanc efficaciam, vtrum vni adstet eius, quæ in sancta Trinitate creduntur, personis, an ad omnes ea virtus (seu vis) pertineat. Nam si vera est τῶν Θεῶν, id est, Deitatis explicatio, & ea quæ videntur Θεοῦ, id est, visibilia seu spectabilia, & τὸ θεῶν, hoc est, id quod videt & spectat, Θεός, id est, Deus dicitur, nullam probabili ratione, aliqua Personarum, quæ in Trinitate sunt, à tali appellatione separabitur, propter insitam voci significationem. Nam quod videant & intueantur, scripturæ suo testimonio ex æquo attribuit & Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Hactenus S. Gregorius; qui rectè notat, nomen Θεός, vt et alia nomina Dei, saltem plaræque, ab aliqua ei proprietate vel operatione esse desumpta; neque id genus nomina esse personalia, sed communia omnibus personis. In quem sensum etiam S. Augustinus serm. 125. de temp. ait, Deus nomen est potestatis, non proprietatis. An tamen siue nomen ipsum Θεός Deus, siue aliud quoddam nomen diuinum, etiâ ipsam naturâ directè significet, inferius q. 7. cum S. Thoma videbimus.

5 Eandem eiusdem nominis Θεός etymologiam, vna cum duabus etiam alijs, refert S. Damascenus lib. 1. fid. Orthodo. cap. 12. vbi ait: Sequens verò nomen est Deus, qui græcè Θεός, vel αἰθερ, id est, currere & disponere vniuersa; vel αἰθερ, id est, arere (Deus enim ignis est omnem malitiam consumens), vel αἰθερ, id est, intueno omnia. Nam nihil eum latere potest, imò omnium inspector est. Intuetur enim omnia priusquam deducantur ad ortum, inætemporaliter intelligens vnumquodque, secundum voluntariam ipsius inætemporalē intelligentiam: quæ quidem est prædefinitio & imago, cuius exemplum & expressio in prædefinito tempore fit. Ita Damascenus: qui etiam antea duo alia DEI nomina retulit; nimirum ὁ Θεός, Qui est, & ὁ ἀγαθός Bonus; & mox ea ipsa, & cætera omnia Deinomina doctè inter se confert, de qua re cit. q. 7. agendum. Ad eandem nominis etymologiam respexit S. Dionysius de diuin. nom. cap. 12. cum ait: Θεός δὲ ἡ πῶτε βούλησις ἡ πῶτε ὁ βούλησις, Diuinitas est omnia contemplans & lustrans.

6 Quod verò ad latinum nomen Deus attinet, sunt quæ id dictum existimant à græco nomine Θεός; vt & multorum aliorum nominum latino-rum origo à multis sæpe ad græcam linguam referri solet. Quod tamen equidem eo sensu non accipio, quasi lingua latina aut græcæ cœua non fuerit (vtramque enim vt, & alias primarias ac matrices linguas simul cum linguarum confusione, Genes 11. occasione turris Babel, Deo auctore, incepisse existimandum:) aut quasi ab initio rerum eiusmodi quam plurimarum ac præcipuarum proprijs nominibus caruerit, quæ postea primum à græca lingua mutuari oportuerit; sed quia Deus ab initio, dum linguas illas hominibus inspiraret, quandam sæpe in diuersis etiam linguis, ad eandem rem exprimendam, nominum similitudinem atque annominationem, siue paronomasiam suo arbitratu obseruare voluit; quamuis earum linguarum nomina tempore & antiquitate paria essent; & sæpe in vna lingua etymon sibi cōsentaneum vendicarent, quale in alia lingua non facillè reperiunt. Sed enim etiam latino vocabulo, Deus, non malè à nonnullis etiam ex latina lingua etymon suum assignatur; vt rectè etiam notauit Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 1. vt. ideo dictum sit, vel quia nihil Deo desit, aut quod ipse det omnia, aut etiam de eo, siue ab eo sint omnia.

Elegantissimum autem, & ferè omnium significantissimum Dei nomen habent Germani, qui Deum vocant GOTT, quasi GVET, hoc est per excellentiam Bonū, iuxta illud Lue. 18. v. 19. Nemo bonus nisi solus Deus. Huiusmodi nomen Dei etiam in græcâ lingua non sine commendatione refert S. Damascenus cit. lib. 1. cap. 12. his verbis: Quemadmodum autem sanctus ait Dionysius, primum Dei nomen est, Bonus: non enim primum dicendum est de Deo Esse, sed ipsum bonum. S. Dionysius verò cap. 4. de diuin. nom. ita hac de re loquitur: Age ergo ad ipsam iam Boni appellationem pergamus explicandam; quam Theologi peculiariter summæ Deitatis ex omnibus applicant: ipsam, vt reor substantiam diuinam, Bonitatem appellantes; & quia eo ipso, quod est bonum, & substantiale bonum, in omnia, quæ sunt, pertendat bonitatem.

7 Ex quibus nunc facilius est, communem, & ab omnibus receptam Dei notionem statuere. Etenim S. Thomas hic q. 2. art. 1. ad 2. post S. Anselmum in prolog. cap. 2. ait: Dei nomine significari id, quo maius cogitari non potest. Et q. 13. art. 8. in corp. iuxta ea, quæ hæc ex patribus retulim<sup>9</sup>, ait: *Nomen Dei, est nomen operationis, quantum ad id, à quo imponitur, significandum. Imponitur enim hoc nomen ab uniuersali rerum providentia. Omnes enim loquentes de Deo, hoc intendunt nominare Deum, quod habet providentiam uniuersalem de rebus.* Id quod S. Thomas ibidem etiam mox confirmat auctoritate S. Dionysij, qui cap. 2. de diuin. nomin. ait: *Deitatem esse, quæ omnia videt, providentia & bonitate perfecta.* Et ibidem resp. ad 2. ait: *Impositum est nomen Dei ad aliquid significandum, supra omnia existens, quod est principium omnium, & remotum ab omnibus.* Similia habent idem S. Thomas lib. 1. contra gent. cap. 11. & S. Anselmus in profolog. cap. 2. 3. & 4.

8 Nec multo aliter S. Augustin<sup>9</sup> lib. 1. de doctr. Christ. cap. 6. omnes, inquit, *latina lingua socios. cum aures sensus iste (uocabuli Deus) tetigerit, mouet ad cogitandum excellentissimam quandam immortalemque naturam.* Et ibidem cap. 7. *Deus*, inquit, *ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere.* Et infra: *Omnes, inquit, pro excellentia DEI certatim dimicant, nec quisquam inueniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt.* Similia habet S. Augustinus lib. 7. Confessionum.

Ex quibus proinde rectè hæc comūnis, & recepta notio uocabuli *Deus* constituitur, significare id, quo maius, aut melius cogitari non potest; siue aliquid super omnia existens, & præstantius omnibus; siue excellentissimam omnium, immortalémque naturam; siue id, quod est principium omnium, & habet prouidentiam generalem de omnibus: quanquam in hæc notione non omnes, etiam qui Deum admittunt, conueniant; cum circa prouidentiam diuinam, rerumque productionem, multi etiam Philosophi, & huius mundi sapientes grauitè hallucinati sint, ut suo loco dicitur.

Eius generis est etiam illa definitio, siue descriptio Dei, quam ex Cicerone lib. 1. Tuscul. qq. refert S. Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 20. ubi ait: *Deum ceterè uolens, sicut poterat, definire Cicero, tantus auctor ipsorum: Mens quadam, inquit, est soluta, & libera, secreta ab omni concretionè mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno.* Atque hæc do. quid nominis.

#### DVBIVM II.

*An Deum esse, sit per se notum?*

S. Thom. 1. p. q. 2. a. 1.

1 **S**upposita notione nominis, antequam ad existentiam Dei comprobendam perueniatur,

expedienda prius est illa dubitatio, an hæc propositio, *Deum esse*, sit per se nota: nam, si vndequeque per se nota esset, frustra in eius probatione tempus & opera infunderetur. Sunt autem hæc de retres Doctorum sententiæ. Prima est eorum, qui sentiunt, eam propositionem esse per se notam, non tantum secundum se, sed etiam nobis, siue secundum nos; & loquuntur de nobis Viatoribus; de beatis enim, qui sunt in cælis, non est quæstio. Ita videntur sentire Albertus in summa Tract. 3. q. 57. Bonauentura in 1. d. 8. art. 1. quæst. 2. Ægidius in 1. d. 3. q. 2. Argentina dist. 3. q. 1. art. 3. Abulensis in cap. 5. Exod. q. 2. Lyranus in cit. cap. 5. Exod. & ex recentioribus expressè Michael de Palatio q. 5. prolog. ubi ait: *Ideo rectius senserunt, qui Deum esse, non solum per se dixerunt notum, quin & quoad nos. Est quippe nobis hoc inditum à natura, diuinitatis scilicet cognitio.* Et citat pro eadem sententia Damascenum lib. 1. fid. Orthod. cap. 1. Ciceronem lib. 1. de natura Deor. & Platonem de legibus lib. 10. qui volunt, inquit, diuinitatis notionem in nobis esse, ante omnem rationem & prolepsin, ut verbo Ciceronis utar, ex Democriti sententia.

Fauent eidem sententiæ Anselm<sup>9</sup> in profolog. cap. 2. Altifiodorensis lib. 1. sum. cap. 1. Alensis 1. p. q. 3. m. 2. & 3. dum docent, non posse concipi Deum non esse, si quis cogitet rem, quæ significetur nomine Deus, & non uocem tantum. Fauet etiam Aureolus in 1. d. 2. part. 2. q. 1. a. 6. ubi docet, hanc propositionem, *Deus est*, non esse quidem per se notam ex terminis, esse tamen per se notam ex quodam imperceptibili syllogismo; ita ut sit hæc communis animi conceptio: qui (art. 5.) etiam rejicit illam distinctionem inter propositionem per se notam, secundum se, & secundum nos.

2 Secunda sententia est, huic è diametro opposita, eorum qui simpliciter & absolute negant, eam propositionem, (*Deus est*) esse per se notam, siue secundum se, siue secundum nos, Putant enim, fieri non posse. ut aliqua propositio sit per se nota in se, siue secundum se, quæ non sit etiam per se nota nobis. Ita expressè docent Henricus Gandauensis in summa art. 3. q. 2. Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2. Ockam in 1. dist. 3. q. 3. Gabriel ibidem q. 4. Gregorius Ariminensis in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 2.

3 Tertia sententia, inter duas extremas media, est, quæ distinguens inter propositionem, per se notam secundum se, & per se notam nobis, siue secundum nos, docet, propositionem illam, *Deus est*, esse quidem per se notam secundum se, sed non nobis, siue secundum nos. Ita docet S. Thomas hic 1. p. q. 2. a. 1. ubi ait: *Dico ergo, quod hæc propositio, Deus est, quantum in se est, per se nota est, quia predicatum idè est cum subiecto: Deus enim est suum esse. Sed quia nos non scimus de Deo, quid est, non est nobis per se nota; sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam.* Ita S. Thomas. Eandem doctrinam habent, & sequuntur Richardus 1. dist. 3. a. 1. q. 2. Heruæus ead. d. 3. q. 2. Durand<sup>9</sup> d. 3. q. 3. Capreol<sup>9</sup> d. 2. q. 2. a. 2. Ferrarientis 1. cont. gent. cap. 10. & 11. Gregorius de Valentia hic q. 2. p. 1. Ludouicus

Molina

Molina art. 2. Franciscus Suarez tom. 2. Metaph. d. 29. sect. 3. Gabriel Vasquez hic. disp. 19. item. Caietanus, Bannes, & omnes Thomistæ hic eit. quæst. 2. ar. 1.

4 Fundantur autem omnes istæ sententiæ, in definitionibus varijs propositionis per se notæ. Etenim Aureolus cit. dist. 2. q. 1. a. 5. cum ex Aristotele 1. post. c. 2. notasset, aliud esse propositionem immediatam, & propositionem per se notam, dicit; propositionem per se notam esse, quam habere necesse est quemlibet docendum, per seipsum; unde non indiget instructore; talis autem est, quæ venit immediate in mentem, vel ex terminis; ut de quolibet esse vel non esse, & de nullo simul: aut quæ venit per inductionem ex sensibus, ut quod nix est alba; aut quæ venit in mentem ex uno solius sensus iudicio; ut quod calum vel motus est; aut quæ venit in mentem per deductionem syllogisticam in tempore imperceptibili factam, & neminem latentem; ut quod omne totum minus est sua parte; vel quod natura sit: Probatur enim ex motu, quod natura, quæ est principium motus, sit &c. Probatur etiam (prius illud) ex hoc, quod totum continet partem, & addit super eam, quod sit minus ea: sed quia subiecto & imperceptibiliter, idcirco est propositio per se nota. Hactenus Aureolus. Cum igitur Deum esse, ab omnibus per quendam imperceptibilem discursum, (ex varijs rerum gradibus & differentijs secundum dignitatis ordinem deductum, iuxta discursum Anselmi in Monolog. c. 4. petitem) evidenter cognoscatur, sequitur, eam propositionem simpliciter & absolutè esse per se notam, tanquam communem animi conceptionem,

5 Scotus verò loc. cit. propositionem per se notam longè angustioribus terminis definit. Ait enim: Dicitur definitio per se nota, quæ ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius, ut sunt eius, habet veritatem evidentem; & non propter aliquid aliud, quod sit extra terminos proprios, habet evidentiam, sed ex se tantum; ut Omne totum est minus sua parte. (Et infra) Ex hoc patet, inquit, quod non est distinguere, inter, propositionem esse per se notam, & per se notabilem, quia idem sunt. Nam propositio non dicitur per se nota, quia ab aliquo intellectu cognoscatur per se; tunc enim si nullus intellectus actu cognosceret, nulla propositio esset per se nota: sed dicitur per se nota; quia quantum est de natura terminorum, nata est habere evidentem veritatem, contentam in terminis, etiam in quocunque intellectu concipiente terminos. Si tamen aliquis intellectus non concipiat terminos, & ita non concipiat propositionem, non minus est per se nota, quantum est de se. Et sic loquimur de propositione per se nota. Ex his patet, quia nulla est distinctio de per se nota in se & in nobis: quia quæcumque est in se, & per se nota, cuiuscunque intellectus est per se nota, licet non actu cognita; tamen quantum est ex terminis, est evidenter nota, si termini concipiuntur, sicut patet de syllogismo perfecto, qui nullius indiget, ut appareat necessarius. Hactenus Scotus. Cum igitur ista propositio Deus est, non habeat evidentiam ex suis terminis; (prout à nobis imperfectè cognoscuntur) multi enim, etiam habita terminorum noticia, eandem negarunt, ut patebit dub. seq. inde colligit

Scotus, eam non esse per se notam; et si quidem interim ibidem fateatur, esse per se notam ex suis terminis, si termini perfecte & quidditative cognoscantur.

S. Thomas verò cit. q. 1. a. 1. propositionem per se notam ita definit & distinguit; Dicendum inquit; quod contingit aliquid esse per se notum dupliciter; uno modo secundum se, & quoad nos. Ex hoc enim aliqua propositio est per se nota, quod predicatum includitur in ratione subiecti, ut homo est animal; nam animal est de ratione hominis. Si igitur notum sit omnibus de predicato, & de subiecto, quid sit, propositio illa erit omnibus per se nota: sicut patet in primis demonstrationum principijs; quorum termini sunt quedam communia, quæ nullus ignorat: ut Ens, & non ens, totam & pars, & similia. Si autem apud aliquos notum non sit de predicato, & subiecto, quid sit, propositio quidem, quantum in se est, erit per se nota, non tamen apud illos, qui predicatum & subiectum propositionis ignorant. Et ideo contingit, ut dicit Boetius (lib. an omne quod est, sit bonum) quod quedam sunt communes animi conceptiones, & per se nota apud sapientes tantum: ut incorporalia in loco non esse &c. Ita S. Thomas qui ex hoc principio rectè infert, propositionem Deus est, esse per se notam quidem secundum se, sed non quoad nos, ut superius retulimus.

Sanè quidem licet tota hæc quæstio ferè sit de nomine tantum, (dum quaeritur, quænam sit dicenda propositio se nota) ut ex dictis colligitur, non abs re tamen est, quid in hoc ipso modo loquendi sequendū videatur breviter declarare.

7 Assertio I. Hæc propositio, Deus est, non est per se nota nobis. Est communis Doctorum sententia, quos pro secunda & tertia opinione citauimus, contra auctores pro prima sententia superius relatos, nisi forte quidam aliud dicere non voluerunt, quæ esse adeo omnium quasi hominum præiudicijs firmatam, ut probatione ex locis intrinsecis nulla egeat, & ex ipsa hominum consensione moraliter & practice quodammodo evidens sit ut inferius dicitur. Probatur; Quia illa propositio non est per se nota nobis, quæ quoad nos indiget probatione, & quam, etiam, supposita terminorum notionem, multi negant: sed talis est hæc propositio, Deus est: iuxta illud psal. 13. v. 1. & 52. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus: ut magis patebit dub. sequent. Ergo non est per se nota nobis.

Deinde Aureolus fateatur, propositionem illam non cognosci, nisi mediante quodam discursu syllogistico, adeoque argumento siue medio; cum tamè ad propositionem per se notam requiratur, ut immediatè veniat in mentem: quomodo autem immediatè, si non nisi per mediū syllogisticū veniat in mentem? Apud Aristotelem quidem talis descriptio, aut definitio, propositionis per se notæ, nusquam reperitur, ut etiam illa, quæ per deductionem syllogisticam imperceptibilem, & neminem latentem in mentem venit, seu cognoscitur. Nec Aristoteles 1. poster. c. 2. propositionem immediatam distinguit à propositione per se nota. Nec etiā hanc definit esse illam, quam

necesse

neceſſe eſt habere quemlibet docendum per ſeipſum; ſed deſcribit his verbis ſolum quafdam propoſitiones per ſe notas, quæ dicuntur Maximæ, ſive dignitates, & Axiomata ſcientiarũ. Nec exempla Aureoli ad propoſitum faciunt. Nam principium illud, quod adducit, Totum eſt maius ſua parte, norunt omnes etiam ſine deductione illa ſyllogiſtica imperceptibili, ex ſolis terminis; in quo rectè conſentiunt S. Thomas, & Scotus loc. cit. Certè multi reperiuntur, qui etiam multo ſtudio in eam rem impenſo, nec poſſunt quidem eiufmodi deductionem ſyllogiſticam facere, aut inuenire, quibus tamen ea propoſitio eſt notiſſima.

Et quomodo deductio illa ſyllogiſtica eſt imperceptibilis, ſi eſt vera ſyllogizatio mentis & operatio intellectus? Certè operationes ſuas quoad ſubſtantiam facile quiſque nouit, ſi mentem velit aduertere.

Denique ſi vel maximè etiam id genus propoſitionis per ſe notæ admittendum eſſet, tamen ne tunc quidè rectè talis eſſe diceretur hæc propoſitio, *Deus eſt*: quia non eſt nota per deductionem ſyllogiſticam neminè latentem; cum per multi reipſa eiufmodi deductionem ſyllogiſticam, qua euidenter probetur, Deum eſſe, negent & ignorèt. Neq; Damascenus, Anſelmus, & alij, qui cum his citati ſunt, ſenſerunt, eam propoſitionem eſſe per ſe notã, vt pluribus Durandus cit. d. 3. q. 3. ſed quædam principia eius cognitionis nobis naturaliter inſita; atque etiam accurata cogitatione rei, quæ per vocem Deus ſignificatur, veniri neceſſario in cognitionem Dei, ſed mediante tamen diſcurſu, vt dicemus dub. ſeq.

Aſſertio II. Propoſitio illa, Deum eſſe, eſt & rectè dicitur nota per ſe, ſecundum ſe. Ita comũnis Doctõrũ ſententia; cum Schola S. Thomæ locis cit. Eamq; ex mente S. Thomæ optimè declaraffe mihi videtur Suarez in Metaph. cit. diſ. 29. ſect. 3. à num. 23. Vbi rectè notat, fruſtra, in controuerſia de nomine, Scotũ, & reliquos contra eam S. Thomæ ſententiam depugnaffe; cum Ariſtoteles, alijq; veteres Philoſophi nuſquã explicatè comũnem & adæquatã notionem propoſitionis per ſe notæ tradiderint: ex mente vero S. Thomæ, propoſitionem imediatam, & per ſe notam, idem eſſe. Cum igitur prædicatum in ipſa re non habet mediũ, ſeu cauſam, per quam conueniat ſubiecto, erit propoſitio per ſe nota ſecundum ſe; cum verò ſimul etiam non indiget medio ex parte noſtra, vt à nobis ſubiecto inefſe cognoſcatur, quia videlicet quidditas, ſeu ratio & conceptus obiectiui extremorum eſt per ſe omnibus notus, vt ſit in principijs comuniſſimis, tum erit propoſitio per ſe nota etiam nobis, ſeu ſecundum nos. Quo fit, vt diuiſum in hac propoſitione propriè non ſint ipſi conceptus noſtri formales, quod videntur ſuppoſuiſſe Scotus, & alij, ſed obiectiui; adeoq; res ipſæ ſignificatæ, non ſigna; vt rectè poſt Capreolũ, Molina, & Suarez loc. cit. Quia ergo in hac propoſitione, *Deus eſt*, ipſum quidem Eſſe, ſive exiſtentia eſt de intrinſeca ratione ſubiecti, nimirum ipſius Dei, ac proinde ſecundum ſe caret medio, ſive cauſa, per quam conueniat ſubiecto, eſt quidem illa propoſitio per ſe nota ſecundum ſe,

ſive ex ſe cognoſcibilis ſine alio medio; attamen quia ex parte noſtra indiget medio, quo ſubiecto inefſe cognoſcatur; eò ſcilicet, quia hæc propoſitio ex ſolis terminis non innoteſcit; proprium verò & quidditatum conceptum Dei non habemus; non eſt ea propoſitio per ſe nota nobis.

Et confirmatur. Quia quodlibet in tantum eſt cognoſcibile, in quantum eſt; ſi quod ergo prædicatum à parte rei non requirit, nec habet mediũ, per quod conueniat ſubiecto, rectè illud dici poterit ſecundũ ſe cognoſcibile, ſine medio: quandoquidè eo ipſo, omnes qui habent quidditatum & adæquatũ conceptum vtriuſq; extremi, aſſentiuntur ei propoſitioni ex ſola notitia terminorũ, ſine villo alio extrinſeco medio: Ergo talis propoſitio rectè dici poterit per ſe nota ſecundum ſe; hoc eſt, cognoſcibilis ſecundum ſe, ſine medio. Non enim ſermo eſt de notitia actuali, ſed aptitudinali, vt quoad hoc rectè dixit Scotus; eſt in aliũ ſenſum intellexiſſe videatur S. Thomam.

Atque eandem doctrinam ita explicatam intendit etiam Heruæus cit. d. 3. q. 2. vbi ait: *Per ſe notum dicitur, illud, cuius cognitio non acquiritur ex aliquo præcognito ſui generis; ſicut propoſitio per ſe nota dicitur, qua abſque hoc, quod per aliam prius notam probetur, eſt nota intellectui.* Et Durandus cit. q. 3. n. 4. *Non excluditur, inquit, à propoſitione per ſe notã, neceſſaria præcognitio incomplexi (ſive terminorum); ſed complexi; quia illa eſt per ſe nota, cui aſſentitur abſque hoc, quod probetur per aliam propoſitionem prius & magis notam.*

Deniq; Scotus ipſe loco cit. fatetur, eam propoſitionem, *Deus eſt*, eſſe per ſe notam, quia iſta extrema, inquit, nata ſunt facere euidentiam de iſta complexione cuiuslibet apprehendenti perfectè extrema iſtius complexioni; quia *Eſſe nulli perfectè conuenit, quam huic eſſentia.* ſic ergo intelligendo per nomen *Dei* aliquid, quod nos non perfectè cognoſcimus, nec concipimus, vt hanc eſſentiam diuinam, ſic hæc eſt per ſe nota, *Deus eſt.* Ita Scotus, qui mox ſubiicit, non eſſe tamen eam per ſe notam, prout Deus à nobis imperfectè concipitur. Plane igitur fatetur Scotus, eam propoſitionem eſſe per ſe notam obiectiue; cum tamen à nobis imperfectè Deum apprehendentibus non ſtatim ex ſe, & ſuis terminis cognoſcatur: quod eſt dicere, eſſe notã per ſe ſecundũ ſe; ſed nõ nobis: vt p̄inde Scotus reipſa à S. Thomam nihil, aut parũ videatur diſſentire.

Sed contra eam S. Thomæ doctrinam, ac declarationem propoſitionis per ſe notæ, obijciunt: Si illa ſolum eſt propoſitio per ſe nota, cuius prædicatum includitur in ratione ſubiecti, tunc ſequitur, propoſitiones ſequentes ordine referendas nõ eſſe per ſe notas: quod tamen eſt abſurdum. I. Omne totũ eſt maius ſua parte. II. Quodlibet eſt, vel non eſt. Homo eſt equus, vel non equus; eſt albus, vel non albus. III. Homo non eſt lapis, non eſt equus; ſeu eſt non lapis, non equus. IV. Eſt motus; eſt natura; quorũ vtrũq; tamè eſſe per ſe notũ, docet Ariſtot. 2. Phyſ. tex. 6. V. Nix eſt alba; Ignis eſt calidus; & cætera eiufmodi quæ inductione nituntur: cum Ariſtot. 2. Top. dicat, eum, quod dubitat, vtrũ nix ſit alba, ſenſu indigere. VI. Terra eſt, coelũ eſt; aliaſq; ſimiles propoſitiões, quæ ipſo ſenſu inoteſ-

ſeunt

scunt. VII. Deniq; sequitur, nullā propositionem esse p se notam, in qua propria passio, etiam imediata, p̄dicatur de subiecto: eo ipso quod tales p̄positiones habent mediū per quod à priori demonstrantur; nempe definitionē subiecti; adeoq; non sunt propositiones immediatæ; quarum p̄dicatum includatur in ratione subiecti.

Respondetur primò generatim, plarosq; Interpretes S. Thomæ in hoc conuenire, S. Thomæ cit. q. 2. a. 1. docuisse quidē, propositionem per se notam esse illam, cuius p̄dicatum includitur in ratione subiecti; id quod ad propositum etiam ipsius sufficiebat; non tamen dixisse, nec sensisse, solam talem esse per se notam. Ita Capreolus in r. d. 2. q. 2. art. 2. Ferrarientis lib. 1. cont. gent. c. 10. & 11. Caietanus hic. q. 2. a. 1. Vasquez cit. d. 19. num. 6. alijque recentiores: etsi contrarium doceant Egidius i. d. 3. part. 1. q. 2. & nōnulli alij, Quomodo autem ea doctrina sit amplianda, & quanam sit adæquata ratio propositionis per se notæ, non eodē modo explicant.

Quidam vniuersim sentiunt, esse illas omnes, quæ sunt ita immediatæ, vt inter subiectum & p̄dicatum earum nihil reipsa medium intercedat, per quod p̄dicatum conueniat subiecto: qua de causa etiam docent, propositiones quoq; illas, in quibus passio immediatē p̄dicatur de subiecto, esse propositiones per se notas. Ita Ferrarientis, Caietanus, Vasquez locis cit.

Sed rectius docuisse videntur Heruæ<sup>9</sup> cit. dist. 3. quast. 2. & Durandus q. 3. num. 4. Capreolus cit. art. 2. & Suarez loc. cit. ex mente S. Thomæ, & secundum rei veritatem, id non sufficere ad propositionem per se notam; sed requiri, vt ita sit imediata, vt à priori nullo modo sit demonstrabilis: siue vt nullum medium habeat à priori, quo demonstretur. Quo modo vniuersim dixerunt Heruæus & Durandus loc. cit. propositionem per se notam esse illam, quæ non probatur per aliam propositionem prius & magis notam, siue interim ex solis terminis innotescat; siue non. Nam si quæ propositio à priori demonstrabilis est, iam eo ipso non est per se nota; sed per medium demonstrationis: esto aliquando possit etiam experimento sensuum, sine demonstratione euidenter cognosci: quia hoc ipsum experimentum sensuum non est illi per se, & intrinsecum; sed extrinsecum, & per accidens; ac proinde denominatio cogniti ab eodem experimento sumpta, non est illi per se, sed per accidens: præsertim cum nulli rei creatæ necessario conueniat existentia; quam tamen experientia sensuum supponit.

Hoc posito, iam secundò in specie ad singulas propositiones siue exempla obiecta Respondetur. Ad primum Respondeo, eam p̄positionem, Omne totum est maius sua parte, in omni sententia, ac sine vlla controuersia esse p̄positionem per se notam; quam etiam S. Thomas hic cit. q. 2. a. 1. satis perspicuè propositionibus per se notis, etiam nobis, accenset his verbis: *sicut, inquit, patet in primis demonstrationum principijs, quorum termini sunt quadam communia, quæ nullus ignorat; vt Ens, & non ens; Totum & pars, & similia.*

Quocirca etiam iuxta notionem siue descriptionem propositionis per se notæ, à S. Thomæ allatæ, dicenda est propositio per se nota, vt rectè etiam Capreol<sup>9</sup> loc. cit. Quia vt magnitudo includitur, & est de ratione cuiuslibet subiecti quanti, qua tale est; ita etiam maior magnitudo, quam sit partis, est de ratione Totius quanti; vt pote, ex sua intrinseca ratione includentis magnitudinem partis, ac insuper alia, qua veluti Totū excedit partem. Atq; de hoc solo toto quanto p̄prie procedit ea p̄positio; non autem de toto Metaphysico; seu alio quolibet toto integro, vel composito, nisi improprie, & secundum aliquam proportionem.

Ad secundum Respondeo. Quodlibet est, vel non est, cum sit primum principium in demōstrabile, & ex suis terminis notū, ex omni itidem sententia esse p̄positionem per se notā: siue quis dicat, p̄dicatum esse de ratione subiecti; siue nō. Idē dico de p̄positionibus illis particularib<sup>9</sup> in eo principio vniuersali contentis; quæ ex vniuersali illo principio, solū per modū consequentiæ, non autem per verā argumentationem à priori deducuntur, vt mox iterum dicitur.

Ad tertium Respondetur, propositiones illas esse imediatas, modo explicato; ac proinde per se notas: non enim habent mediū p quod à priori probentur; sed innotescunt ex suis terminis.

Ad quartum, Capreolus loc. cit. negat, eas p̄positiones, *Natura est, Motus est*, esse per se notas. *De nulla enim creatura, inquit, potest dici, quod eam esse sit per se notum. Commentator autem Aristoteles dicunt; eas esse per se notas, quia non indigent demonstratione, sed cognoscuntur sensu aut experientia.* Sed Capreolus accipit eo loco propositionem per se notam pro ea, cuius p̄dicatum includitur in ratione subiecti. Iuxta eam verò rationem, quam nos antea assignauimus, Respondeo, *Naturam esse*, esse propositionem per se notā, absolute quidem, si esse accipiatur pro aptitudine ad existendum; ex hypothesi verò, & supposita ipsius naturæ existentia; si accipiatur pro actuali existentia: quandoquidem propositio vtroque sensu explicata caret medio à priori, quo demonstretur; & si subiectum adæquato conceptu (in priori sensu quidditatiuò, in posteriori etiam intuitiuò, iuxta superius dicta) concipiatur, impossibile est, eam non esse perspectam.

Aliter sentio de illa propositione, *Motus est*: hæc enim licet nobis sit notior, quam prior; est tamen à priori demonstrabilis per illam, *Natura est*; cum motus sit passio naturæ. Neq; Aristoteles dixit, p se notum esse, quod motus sit: sed quod natura sit. Verba eius sunt cit. lib. 2. Physic. textu. 6. *Quod autem sit natura, tentare demonstrare ridiculum est, manifestum enim est, quod huiusmodi entia sunt multa; demonstrare autem manifesta per immanifesta, non potens iudicare est, quod per seipsum, & non per seipsum notum est.* Dices. In ipsa definitione naturæ includitur motus. Respondeo, includi oblique, sed non in recto; ac proinde dum cognoscitur naturā esse, non cognoscitur simul directè motum esse; sed hoc ex illo pote sit demonstrari: perinde vt ex rationabili risibile:

Ad

14

Ad quintū Respondeo cum Capreolo, loc. cit. *ignem esse calidum, niuem albam*: & similes propositiones, quæ inductione per sensus cognoscuntur, non esse propositiones per se notas; cum prædicata non nisi per medium aliquod prius & natura notius conueniant subiectis: neque oppositum dixit Aristoteles loc. cit. sed sensu indigere, qui de ijs dubitet: quod verum est; quia ipso sensu sunt manifestæ: sed hoc ad propositionem per se notam non sufficit, vt superius dictum.

Ad sextum, Cælum esse, Terram esse; Respondeo eas propositiones esse per se notas (supposita subiectorum existentia) quia prædicatum Existentiæ non habet medium, per quod à priori demonstraretur de huiusmodi subiectis, sed supposita intuitiua cognitione subiecti, eo ipso statim innotescunt. Capreolus tamen loc. cit. negat, esse propositiones per se notas; quia alio sensu ibidem accipit propositionem per se notam, vt superius in simili dictum ad 4.

Ad Septimum iam superius responsione generali dictum est, eas propositiones non esse per se notas: quia habent medium quo à priori demonstrantur; etsi alio sensu dici possint immediatæ, quia non habent medium re ipsa diuersum à subiecto & prædicato, vt ibidem dictum.

## D V B I V M III.

*An, & qua ratione demonstrari possit, Deum esse.*

S. Thom. 1. p. q. 2. a. 2.

**S**upponunt quidem alioqui scientiæ existentiam sui subiecti; iuxta Aristotelem lib. 1. poster. ca. 1. sed quando ea per se satis nota non est, vt in proposito contingit, ex dictis dub. præced. necesse est, vt ipsum, *An est subiecti*, ante omnia inquiratur, & quidem ab illa ipsa scientia, si superiorem non habeat.

Sunt autem hæc de re tres Doctorum sententiæ Prima simpliciter & absolute negat, demonstrari posse Deum esse. Ita Petrus de Aliaco in. 1. q. 3. a. 2. Ioannes de Bassolis in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. & dist. 3. q. 1. art. 3. Maior. dist. 2. q. 1. Caspar Casfallus lib. 1. de quadripartita Iustitia, & Rabbi Moyses apud S. Thomam q. 10. de verit. art. 12. Omitto hoc loco atheos, qui prorsus negant, Deum esse, de quibus infra. Fundamentum præcipuum est; quia putant, solui posse omnes rationes, quibus probatur, Deum esse: præsertim cum omnes niti videantur impossibilitate infiniti, vt existimauit Bassolis; quam putant euidenter non posse probari.

Secunda sententia in altero extremo versatur, quæ docet, etiam à priori demonstrari posse, Deum esse. Indicant quidam recentiores; & fauent ex parte Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2. Ockam in 1. dist. 3. q. 44 Gabriel ibid. q. 4. Rubion. d. 2. q. 1. art. 2. qui etsi fateantur, secundum legem Dei ordinariam, ac iuxta modum cognitionis, quem nunc habemus de Deo, non posse eam positionem demonstrari à priori, & per demonstrationem propter quid, dicunt tamen, posse ita demonstrari, si

Deus alicui infunderet notitiam euidentem eorandem terminorum, vel saltem ipsius termini Deus, quæ posset inferuire loco definitionis. Fundamentum est; quia demonstratio passionis per definitionem subiecti, est à priori; tamen à parte rei & obiectiue definitio à definito non differat.

Tertia sententia est media inter priores duas extremas, quæ docet, eam propositionem, Deum esse, demonstrari quidem posse à posteriori, & per demonstrationem Quia; non autem à priori, & per demonstrationem propter quid. Ita S. Thomas hic quæst. 2. art. 3. & quæst. 3. art. 5. & lib. 1. cont. Gent. cap. 12. Albertus in sum. tract. 3. quæst. 17. Henricus in sum. a. 22. q. 1. & 4. Bonauentura in 1. d. 2. part. 1. a. 1. q. 2. Richardus dist. 3. a. 1. quæst. 3. Heruæus quodlib. 6. q. 3. & in 1. dist. 3. q. 2. Marsilius in 1. q. 5. art. 1. Durandus in 1. d. 3. q. 3. & 4. Aureolus in 1. dist. 2. q. 2. art. 6. Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 12. Caietanus & Thomista hic q. 2. a. 2. Molina ibidem, Gregorius de Valentia hic q. 2. p. 1. Suarez Metaph. tom. 2. disp. 29. sect. 3. & hic lib. 1. de Deo, cap. 1. Gabriel Valquez disp. 20. cap. 1. Fundamenta inferius exponuntur.

Assertio I. Deum esse, non potest demonstrari à priori. Est communis sententia Doctorum, vt vidimus. Probat Quia nullum prædicatum essentialiale potest de subiecto demonstrari à priori, & demonstratione propter quid: at verò esse, siue existentia, respectu Dei, est prædicatum essentialiale; vt patebit dub. 5. Ergo &c. Secundo si posset demonstrari à priori Deum esse, id maxime fieret per definitionem, seu quidditatiuum conceptum ipsius Dei, vt dixit opposita sententia: at hoc est impossibile: Quia per definitionem subiecti non potest à priori demonstrari ipsa ratio essentialis in definitione inclusa: nihil enim per se ipsum demonstratur: at verò Esse, siue existentia Dei, est ratio quadam essentialis ipsius Dei; quæ proinde intrinsecè includitur in definitione seu quidditatiuo conceptu Dei.

Quæ ratio probat, non solum non posse à priori demonstrari Deum esse, si vocula, Deus, in conclusione sumatur ex ipsa, seu pro ipsa natura & essentia diuina; sed etiam si desumatur ab aliquo attributo; licet nonnulli recentiores aliter sentiant. Nam in propositionibus de secundo adiacente, subiecta concreta conclusionum accipiuntur materialiter, non formaliter: aut si formaliter accipiuntur, includunt tamen etiam significatum materiale, vt sensus sit, id quod est tale, & vt est tale, est, &c. Itaque etiam si dicas, Causa & primum principium rerum omnium est; aut Ens necessarium & immutabile est; aut substantia Omnipotens est; &c. nec sic quidem fieri potest, vt eiusmodi conclusiones demonstrantur à priori: esto ex conceptu quidditatiuo Dei, demonstrari fortasse posset, Deum esse Omnipotentem, esse ens necessarium, & immutabile; esse causam & primum principium rerum omnium.

Atque ex his etiam solutum est fundamentum contrariæ sententiæ, quam secundo loco retulimus. Aliter enim se res habet eū passionem,

qua



quæ in definitione aut ratione subiecti non includitur; ipsamque proinde definitionem subiecti, veluti terminum minimè identicum recipit pro medio demonstrationis.

4 Assertio II. Deum esse demonstrari potest à posteriori. Ita communis sententia Doctorum, quos pro secunda & tertia sententia retulimus, est que ita certa, vt multi non imeritò oppositam sententiam graui censura perstringant. S. Thomas quidem lib. I. cont. gent. cap. 12. eam appellat errorem. Gregorius de Valentia loc. cit. punct. 2. ait: *Quæ sententia merito à Theologis existimatur erronea.* Suarez in 1. p. lib. 1. de Deo cap. 1. num. 13. dicit, *valde consentaneum fidei esse, posse naturali discursu demonstrari Deum esse, & hoc, inquit, negare temerarium esset, & erroneum.* Vasquez cit. disp. 20. cap. 1. num. 7. ait: *Opinionem S. Thomæ adeo veram existimant recentiores Thomistæ, vt priorem merito censent temerariam.*

Probatum assertio primo ex scriptura; quæ non obscure docet, Deum, veluti Creatorem, ex creaturis euidenter posse cognosci. Sapient. 13. v. 1. dicitur: *Vani autem (q. d. vecordes) sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neque operibus attendentes, agnouerunt, quis esset artifex.* Et ibidem ver. 3. *Quorum (operum Dei) si speciei delectati, deos putauerunt, sciant (certa notitia) quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit, &c.* Et ver. 5. *A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Visio sane ex suo genere certam & claram notitiam significat: Et v. 8. 9. *Iterum autem nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, vt possent existimare seculum, quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt? Non ergo latens admodum & obscura Dei cognitio est, quæ adeo facile occurrit quærentibus.* Et Rom. 1. v. 19. *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles.* Vbi rursum vocula, *conspecti*, claram notitiã significat. Huc etiam spectat illud psal. 18. v. 1. *Cæli enarrant gloriam Dei & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Et Act. 14. v. 16. *Non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiã corda nostra.*

5 Secundò idem significant Sancti Patres, Dionysius cap. 7. de diuin. nomin. Iustinus in lib. de Monarchia Dei, Tertullianus in Apologet. cont. gent. cap. 17. & lib. ad Scapulã cap. 2. Irenæus lib. 2. cap. 5. Cyprianus de idolorum vanitate, Clemens Alexand. orat. ad gent. Eusebius lib. 7. de præpar. Euang. cap. 2. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Theologia, Athanasius orat. contra idola, Basilius in Isai. 1. & 5. Gregorius Nyssenus orat. 11. in Cantica, & disp. de anima & resurrect. Chrysostomus homil. 4. in cap. 1. Genes. & homil. 22. in Matth. Hieronymus, & alij comentatores in cap. 1. ep. ad Rom. Augustinus libro de spir. & lit. cap. 12. Damasc. lib. fid. cap. 3.

Optimè S. Basilius orat. de Verbi Incarnat. *Si quis pietatis, inquit, sectator est, ut quid sit Deus, curiosè non inquirat; verum ex his, quæ ab illo facta sunt, eum esse cogitet, illud certo apud se statuat: si quidem ex procreatarum rerum magnitudine, & pulchritudine, illarum melior & opifex certa quadam ratione dignoscitur & spectatur.* Et Gregorius Nazianzenus loc. cit. *Nimis, inquit, absurdus & præposterus est, qui argumentis naturalibus non eadè & insiciatur, Deum esse.*

Tertio probatur ratione. Quia omnes effectus proprii alicuius causæ, si cognoscantur, ex sua ratione, apti sunt perducere intellectum nostrum in cognitionem ipsius causæ: at verò in hoc mundo cernuntur multi effectus proprii ipsius Dei, qui nisi à Deo esse non possent; vt vel maximè est totum vniuersum creatum, vt mox dicemus; Ergo &c. plura dub. seq.

#### DVBIVM IV.

### Quibus rationibus demonstratur, Deum esse.

S. Thom. 1. p. q. 2. art. 3.

**A**liud est, rem aliquam posse demonstrari, aliud reipsa demonstrari, aut demonstratam esse. Postquam igitur docuimus, posse demonstrari, Deum esse, restat inquirendum, an & quibus rationibus reipsa demonstretur, Deum esse. De quare statuo hanc assertionem vnicam. Deum esse, à posteriori reipsa pluribus rationibus euidenter probatur. Hæc est mens S. Thomæ hic q. 2. a. 3. aliorumque, quos dub. præced. citauimus contra impios Atheos veteres & recentiores, qui vt est in psal. 13. & 52. v. 1. *dixerunt in corde suo, Non est Deus.*

Tales autem fuerunt olim post Protagoram, qui primus de existentia Dei dubitauit, Diagoras Milesius, Theodorus Cyrenæus, Eumerus Tegetates, quos referunt Cicero lib. 1. de nat. Deor. Plutarchus lib. 1. de placitis Philosoph. c. 7. Laëtantius lib. 1. diuin. Instit. c. 2. Eusebius lib. 4. de præpar. Euang. cap. 6. Augustinus lib. 3. cont. lit. Petilianus c. 21. & Theodorus Græca affect. l. 2. & 3.

Tales etiam nostro tempore sunt multi Pseudopolitici, qui omni interna fide, cultu, & religione Dei abiecta, omnia (etiam ipsam cuiuscunque religionis simulatam speciem) ad solam externam Reip. gubernationem, propriumque commodum referunt, vt videre est apud Stanislaum Rescium lib. 1. de Atheismis Euangelicorum cap. 20. & Lindanum in Dubitatio. *Hæc de re, inquit, Gabriel Vasquez hic disp. 20. c. 1. non multis ante annis librum edidit quoque Machiavelus, qui statim publico edito Inquisitionum, iure optimo interdictus fuit; in quo illud maximè contendit, hæresum in Regnis tolerantiam esse imprimis vitalem ad maiorem Reip. pacem, & Regnorum amplificationem. Verum enimvero experimento compertum est, eam principum communitatem non confirmare regna, sed potius vastare crudeliter, atque in seipsa diuidere; vt vel inde sibi persuadeant*

politici, quam parum profit, imo quantum nocet atheismus temporali paci & gubernationi regni, quam solam ad hominum felicitatem sufficere arbitrantur Ita Vasquez.

Cæterum ad existentiam Dei probandam S. Thomas hic cit. q. 1. art. 3. vt & in 1. d. 8. q. 1. a. 1. & lib. 1. cont. gent. cap. 13. & opusc. 3. cap. 3. & de verit. q. 1. a. 4. 7. & de potentia q. 7. art. 2. & 7. quinque rationes adducit. Prima, quã ipse manifestiorem vocat, desumitur à motu rerum naturalium, ex Aristotele lib. 7. physic. cap. 1. & 2. Videmus enim quædam in hoc mundo moueri. Quicquid autem mouetur, ab alio mouetur, vt ibidẽ probat Aristoteles: Ergo vel datur aliquod primum mouens, quod à nullo mouetur; aut in mouentibus procedendum erit in infinitum. Posterius dici non potest: quia si nullum est primum mouens; nec erit aliquod aliud mouens, quia mouentia secunda non mouent, nisi per hoc, quod sunt mota à primo mouente; sicut baculus non mouet, nisi per hoc, quod est motus à manu. Ergo fatendum est prius, dari videlicet primum mouens, quod à nullo mouetur; & hoc omnes intelligunt esse Deum.

Secunda desumitur à subordinatione causarum efficientium, ex eodem Aristotele 1. Metaphysic. t. 5. & 6. Videmus enim in rebus istis sensibilibus, esse quendam ordinem causarum efficientium: Aut igitur in hoc ordine datur primã aliqua causa, à nulla alia producta: aut admitti rursus debet processus in infinitum; posterius est impossibile: quia in omnibus causis efficientibus ordinatis, primum efficiens est causã mediã; & medium est causã vltimã, ergo vbi non est prima causa, non est etiam media, nec vltima causa: remotis autem omnibus causis efficientibus, remouetur effectus. Si primũ conceditur, dari videlicet primam aliquam causam à nulla alia productam; ergo datur prima causa efficiens simpliciter improducta; quandoquidem à seipso produci nihil potest. Talis autem causa alia esse non potest, quam Deus. Similia habet Anselmus in Monologio cap. 3.

Tertia ratio sumitur ex conditione & gradu rerum contingentium, siue, vt S. Thomas vocat, possibilitium & necessariarum. Aut enim omnia, quæ sunt in hoc mundo, sunt tantũ contingentia; aut quædam sunt necessaria. Prius dici non potest. Si enim omnia sunt contingentia solum; ergo fatendũ, ea omnia aliquando nihil fuisse; contingentia enim ex se, nisi à causa necessaria sustententur, non possunt esse æterna: at illud est impossibile: si enim omnia aliquando nihil fuerunt: ergo nec esse etiam vnquam potuerunt; quia quod non est, non incipit esse, nisi per aliquid, quod est. Quod si in his rebus est aliquid necessarium, aut illud habet causam suã necessitatis, aut non habet. Si prius; aut procedendum erit in infinitum, in eiusmodi necessarijs habentibus causam suã necessitatis; aut in aliquo sistendum, quod nullam suã necessitatis causam habeat: Prius dici non potest; vt in simili de causis efficientibus dictum, si posterius dicitur, habetur intentum. Quia Ens necessarium, quod

nullam suã necessitatis causam habet, aliud esse non potest, quam Deus. Similem rationem, habet Richardus Victorinus lib. 1. de Trinit. parte 1. cap. 7. & 8.

Quarta sumitur ex vario gradu rerum secundum dignitatis & perfectionis ordinem. Vbi enim est magis & minus bonum; siue perfectum, aliquo perfectionis genere; illic etiam est aliquid, in eodem genere perfectissimũ; quandoquidem magis & minus tale dicitur, per respectum ad aliquid in eo genere perfectissimum; prout quodq; magis vel minus ad eius perfectionem, accedit: sed secundum quamcunq; perfectionem, datur aliquid magis & minus bonum, siue perfectum: Ergo etiam necesse est, aliquid in eo genere esse perfectissimũ. Est ergo aliquid Eius perfectissimũ in ratione boni, veri, Entis &c. quodque ideo etiam est causa cæterorum eiusdem generis; iuxta Aristotelem 2. Metaph. tex. 4. Hoc verò non est aliud, quam Deus.

Similem discursum habet S. Anselmus Monolog. cap. 1. 2. & 4. vbi ita ait: Si quis intendat rerum naturas, velis, nolit, sentit, non eas omnes contineri una dignitatis paritate: sed quasdam earum distinguere graduum imparitate. Qui enim dubitat, quod in natura sua ligno melior sit equus, & equo præstantior homo, is profecto non est condidit homo. Cum igitur naturarum alia alijs negari non possunt meliores, nihilominus persuadet ratio, aliquam in eis sic supereminere, vt non habeat se superiorem. Si enim huiusmodi graduum distinctio sic est infinita, vt nullus sit ibi gradus superior, quo superior alius non inueniatur; ad hoc ratio deducitur, vt ipsarum multitudo creaturarum nullo sine claudatur. Hoc autem nemo non putat absurdum, nisi qui nimis est absurdus. Est igitur ex necessitate aliqua natura, quæ sic est alicuius vel aliquibus superior, vt nulla sit, cui ordinetur, inferior. Ita Anselmus. Qui mox pluribus probat, eam naturam non posse esse nisi vnã: quod vel ex eo probatur; quia alioquin vna earum deberet, esse ab altera; quo ipso iam non essent pares dignitate & perfectione. Denique concludit: Restat igitur, vnã & solam naturam aliquam esse, quæ sic est alijs superior, vt nulla sit inferior: Sed quod tale est, maximum & optimum est omnium, quæ sunt. Hoc autem esse non potest, nisi ipsa sit per se id, quod est; & cuncta, quæ sunt, sint per ipsum id, quod sunt. Atque hunc ipsum discursum Aureolus citatus dub. 2. existimauit esse imperceptibilem illum syllogismum, neminem latentem, quo propositio illa Deus est, per se nota sit omnibus.

Quintam probationem desumit S. Thomas ex ordinatione rerum ad finem. Omnia enim entia naturalia, etiam inanimata & cognitionis expertia, operantur propter finem: vt vel ex eo pater, quod semper, aut frequentius eodem modo operantur, vt consequantur id, quod est optimum; quosif, vt non casu, sed ex intentione pueniant ad finem: At verò ea, quæ cognitionis expertia sunt, non possunt tendere in finem, nec operari propter finem; nisi directa ab aliquo intelligente; sicut sagitta à sagittante: Ergo est aliquid Ens intelligens, à quo omnes res naturales ordinantur ad finem: & hoc dicimus Deum.

Hoc

Hac demonstratione etiam vitur Cicero lib. 2. de natura Deorum, & S. Athanasius in orat. contraidola, & S. Gregorius Nyssenus in disput. de anima & resurrect. & S. Dionysius cap. 7. de diuin. nom. vbi ait: *Ipsa (diuina natura) ex omnibus noscenda est; cum sit effectrix omnium & semper cuncta coaptans, ipsiusque omnium indissolubilis conuenientia atque ordinis causa; semper priorum fines sequentium inuis coniuungens, vnamque mundi conspirationem & congruentiam decentissime moliens.*

Quæ verò contra has rationes S. Thomæ præsertim tres priores, quæ fundantur in impossibilitate infiniti, obijci possunt, expendit & dissoluit Gregorius de Valentia hic quæst. 2. punct. 3. prudenter tamen simul annotans, etiam si nulla huiusmodi rationum concluderet, tamen pro certo nihilominus habendum esse demonstrari posse, quod sit DEVS: posse enim alias rationes esse, quæ id euidenter concludant. Ego verò quia S. Thomæ Commentatorem ex instituto non ago, non existimo operæ pretium, in his immorari: præsertim cum & Caietanus earum examen prætermittat.

Omitto etiam alias aliorum rationes, qui hoc argumentum eruditè præsecuti sunt, ex Ethnicis Aristoteles 2. & 8. Physic. & lib. 2. Metaph. à tex. 4. & lib. 12. Metaph. & Cicero lib. 2. de nat. Deorum. Ex antiquis Patribus Clemens Alexandrin<sup>9</sup> orat. ad gent. Tertullian<sup>9</sup> in Apologet. cont. gent. cap. 17. Athanasius orat. contra Idola, Gregori<sup>9</sup> Nyssenus disp. de resurrect. & anima. Augustinus lib. 8. de ciuit. Dei cap. 6. Damascenus lib. 1. fid. orthod. cap. 3. Richardus Victorinus lib. 1. de Trin. part. 1. Anselmus in Monolog. cap. 1. & seqq. Ex Scholasticis præter S. Thomam locis citatis, Albertus in sum. tract. 3. q. 18. Alensis 1. part. quæst. 3. memb. 1. Henricus in sum. art. 22. q. 4. Scotus in 1. d. 2. q. 2. Durandus dist. 3. part. 1. q. 1. Capreolus dist. 3. q. 1.

Ex recentioribus præter Scholasticos, Augustinus Eugubinus perenn. Phil. lib. 2. 6. & Leonardus Lessi<sup>9</sup> de prouid. Dei cont. pseu. dopoliticis.

Adducam ipse hoc loco solum tres eius rei probationes, hoc ipso saltem planiores, minusque calumnijs obnoxias, quod ab impossibilitate infiniti abstrahunt: vnam moralem; & duas metaphisicas. Morialis sumitur ab autoritate, siquidè moraliter euidens est, eam rem falsam esse nõ posse, quæ omnium gentium & populorum, doctorum pariter & indoctorum constantissima asseueratione & testificatione comprobata est: Talis autè est hæc veritas, Deum esse, loquendo in genere, & abstrahendo à particulari Numinis & Deitatis ratione. Ergo saltem moraliter euidens est, hanc rem falsam esse non posse. Minor probatur. Nam peruestigati omnes historias, veteres, & nouas, sacras & profanas, nusquam occurret facile populus, aut gens aliqua, quæ non Deum aliquem agnouerit & coluerit. Et quæuis Athei, cum Aristotele, mundum fuisse sempiternum existimant, nullam tamè historiam antiquiorem, aut certè antiquioris temporis testem, proferre possunt, quam Moysen: ex eo verò constat, Adamum à Deo creatum, mox à suo ortu Creatoris Dei notitiam hausisse,

eamque suis posteris tradidisse: qui licet postea per varias terras & prouincias dispersi, magna ex parte à veri DEI cultu defecerint, semper tamen aliquod Numen agnouerunt; vt de ijs, qui in Chaldea, Mesopotamia, Ægypto versabantur, constat ex eadem Moysis historia; adeo vt notitia Dei alicuius, sub ipsa natura lege, toto orbe fuerit propagata.

Hinc à Moysè viro sapientissimo, eadem Dei notitia etiam scriptis libris prodita, non solum in tota synagoga plurimis portentis diuinis confirmata, & constantè retenta; sed etiam apud Ethnicos, Israelitarum hostes, eadè Moysis, aliorumque scriptorum sacrorum vt & profana historia teste, Madianitas scilicet, Idumæos, Moabitas, Chananæos, Assyrios, Ægyptios, Babylo-nios, Medos, Persas, Græcos, Romanos, aliosque populos: & quidem etiam apud viros Philosophos, ingenio, omnique doctrinarum genere præstantissimos, vbique terrarum fuit recepta.

Postremo non solum veri Dei notitia à Christo & Apostolis rursus nouis miraculis roborata; ab innumeris sanctissimis & sapientissimis viris sceminisque comprobata; ipsaque etiam sanguinis profusione ad mortem vsq; contestata, in Ecclesia tota Christiana vel maxime effloruit: sed etiam extra Ecclesiam Christi, apud Iudæos, Mauros, Turcas, Persas, Indos, vbiuis gentium, aliqua cuiuscumque; Numinis agnitio semper extitit; & quidem adeo firmiter omnium gentium animis impressa, vt planè impij ac scelerati, imò & insipientes haberentur, ac publicis plerumque Iudicum sententijs punirentur, qui Deum esse negarent.

Hæc autem tanta consensus omnium gentium, quanta in re alia nulla, quæ pender ab humana fide, reperitur, aliunde nata esse non potest, quam vel à natura, vel ab ipso Deo: vtroque autem modo non potest non esse verissima. Natura enim per se ad falsum non inclinatur, cuius obiectum naturale est verum. Si verò à Deo est, iam hoc ipso demonstrat, Deum esse; quæ non alium, quam ipsum Deum habet auctorem.

Accedunt miracula pene quotidiana, quæ & olim copiose facta, & passim in Ecclesia supra naturam vires etiamnum sunt: quæ siue auctorem spectes, alium habere non possunt, quam Deum: quis enim mortuos excitare; cæcos à natiuitate illuminare, cælorum motus inuertere demones imperio pellere potest, nisi qui supra omnem naturam & creaturam est Deus? siue finem ob quem fiunt; si alium non spectant, quam confirmationem veræ religionis; quæ in veri Dei fide & notitia fundatur.

Qui verò Deum negarunt, aut etiam hodie negant ex viris doctis sunt paucissimi; ex communi populo non nisi sceleratissimi: inter gentes Indorum non nullas, portenta hominum potius, quam homines; certè quoad viuendi modum bestiis similiores, quam hominibus. Etiam si igitur nullum aliud suppeteret argumentum, præter hanc tantam consensum autoritatem, omnium seculorum, omnium gentium, omnium populorum, omnium ordinum, omnium proborum & sapientum omnis sexus

& ætatis, omnium prope hominū, hoc vnicum planè sufficeret, non solum ad assensum huius veritatis firmissimum concipiendum, sed ipsos etiam atheos illos & insipientes, qui dixerunt in corde suo, *non est Deus*, de impietate conuincendos; & ab errore retrahendos. Quia vt S. Augustinus ait lib. de vilit. credendi cap. 16. *sola est auctoritas, quæ commouet stultos, vt ad sapientiam festinent.*

Eleganter etiam Tertullianus apologet. cont. gent. cap. 17. hanc quasi à natura insitam omnibus de existentia Dei præconceptionem animi vrget. *Hæc, inquit, summa delicti, nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt. Pulsis ex operibus ipsius tot ac talibus, quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur: vultis ex anima ipsius testimonio comprobemus? Quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus prauis circumscripta, libidinis & concupiscentijs euigorata, licet falsis Dys exancillata, cum tamen respicit, vt ex crapula, vt ex somno, vt ex aliqua valetudine, & sanitatem suam potitur, & DEVM nominat solum, quia propriè verus hic vnus DEVS, bonus & magnus; & quod DEVS dederit omnium vox est. Iudicem quoq; contestatur illum, DEVS videt; & DEO commendo; & DEVS mihi reddet. O testimonium anima naturaliter Christiana. Denique pronuncians hæc non ad Capitolium, sed ad cælum respicit. Nouit enim sedem DEI viui; ab illo & inde descendit. Ita Tertullianus.*

Quocirca prudenter etiam Suarez Metaph. tom. 2. d. 29. sect. 3. num. 34. ait: *Quamuis in rigore non sit nobis (per se) notum, Deum esse, tanquam omnino euidens; esse tamen hanc veritatem adeo consentaneam naturali lumini, & omnium hominum consensum, vt vix possit ab aliquo ignorari: Et infra num. 36. ipsam etiam fidem humanam huius rei, quæ habetur ex generali fama apud omnes gentes, ait, esse coniunctam cum quadam euidencia practica & morali. Omitto hoc loco alia argumenta à moribus hominum, & prouidentia diuina desumpta; de quibus disp. seq. aliquid dicitur. Atque hæc est prima demonstratio quasi moralis.*

Secunda demonstratio Metaphysica est hæc. Euidens est, esse in hoc toto Vniuerso Ens simpliciter & absolutè necessarium; de cuius nimirum essentia, & ratione intrinseca, est ipsa existentia: Ergo euidens est, Deum esse; Consequentia patet; quia Ens, de cuius essentia & intrinseca ratione est existentia, non potest non esse Deus. Antecedens probatur. Quia si nullum est in hoc toto vniuerso Ens simpliciter necessarium, modo explicato, absolutè possibile fuit, vt nullum planè Ens existeret; quia eo ipso quod de nullius Entis essentia & ratione est existentia, potest hæc vtique, & potuit iam antea ab ipsa essentia cuiusque Entis abesse: sed hoc fuit impossibile, vt nullum aliquando Ens existeret: Ergo. &c. Minor hæc probatur: Quia si non fuit impossibile; Ergo ponamus factum. Ex hac hypothesi, si non est impossibile, vt dicitur, non debet sequi impossibile: at si sequitur impossibile, iam ea hypothesi hoc ipso est im-

possibilis; quia ex possibili nunquam sequitur impossibile: sequitur autem planè ex ea hypothesi impossibile.

Si enim nihil profus aliquando extitisset, ex rebus omnibus, quæ sunt & fuerunt in mundo, iam eo ipso etiam nihil fuisset possibile existere: ac proinde hæc ipsa entia, quæ sunt, aut fuerunt in mundo, non fuissent natura sua entia possibilis: sed hoc est impossibile, & implicat contradictionē in adiecto. Ergo &c. Maior huius syllogismi probatur. Quia iuxta principii illud naturaliter euidēs, Ex nihilo, & à nihilo nihil fit; nec quicquā incipit esse, nisi per id quod est, vt rectè etiam dixit S. Thomas supra ratione tertia; itaq; si nihil planè aliquando existitisset, nihil etiā esse potuisset; ac proinde nullū Ens esset vlllo modo possibile. Hoc autem implicare in adiecto patet. Quia Entia hæc, quæ re ipsa nunc sunt in mundo, sunt vtique entia sua natura possibilis; alioquin enim nec possibile fuisset vnquam, vt essent; nec adeo iam re ipsa essent: quia ens impossibile nunquā est, nec esse potest: Ergo implicat in adiecto, vt hæc Entia fuerint impossibilia; sic enim Entia possibilis essent impossibilia.

Nec video quid contra hanc demonstrationem obijci possit, nisi quis dicat, tamen si non sit de ratione & essentia vllius Entis in sensu distributiuo existentia, esse tamen eam de ratione & essentia horum Entium adeoque totius Vniuersi in sensu confuso, & disuncto.

Sed hæc responsio nihil habet momenti. Quia prædicatum hoc, de ratione essentia esse existentiam, est prædicatum alicuius naturæ singularis; quandoquidè sicut existere nō est nisi singulariū, ita etiam hic velle ille modus existendi per se, non potest esse nisi singularium; ac proinde non potest verificari, nisi ratione alicuius singularis & particularis naturæ, quæcunque illa sit; siue à nobis determinatè cognoscatur, siue non. Ergo si non est de ratione & essentia vllius Entis, in sensu distributiuo, existentia; non poterit etiam esse de ratione alicuius Entis in confuso; adeoque etiam nec totius Vniuersi. Impossibile siquidè est, totum aliquod vniuersum esse Ens ita necessarium, vt de ratione & essentia eius sit Existentia, si partes singulæ eius Vniuersi possunt non esse. præsertim cum de ratione huius vniuersi sint non tantum partes istæ secundum rationem specificam sed etiam indiuiduam. si enim spatio quatuor dierum hæc ipsa numero elementa, & corpora simplicia, cum suis compositis, deficerent, iam non esset idem numero Vniuersum, sed aliud; ac proinde hoc ipso, quod singulæ eiusmodi partes ipsius principales deficerent, ipsū etiam totū vniuersum deficeret, adeoque deficere posset. Accedit, quod si de ratione & essentia huius ipsi numero Vniuersi esset existentia; iam hoc ipsum totū vniuersum esset Deus: quia, vt dictū, nō potest non esse Deus, de cuius intrinseca ratione & essentia est existentia. Nam hoc ipso est Ens esse, adeoque Ens illimitatum, infinitum &c. Ac proinde hæc ipsa responsio, dā vult effugere existentia Dei, ponit, in Pythagoricam simul, aut Stoicā inclinans sectam; quæ mundum ipsum, seu mundi

potius

potius animam Deum constituit, vt refert Virg. lib. 4. Georg. & 4. Æneidos:

Principio cælum, & terras, camposque liquentes,  
Lucentemque globum lunæ, Itanaque astra;  
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus  
Mens agit molem, & magno se corpore miscet.

Tertia demonstratio Metaphysica, à causa efficiente de sumpta, & ab impossibilitate infiniti itidem abstrahens, in hunc modum conformatur. Aut totum hoc Vniuersum quod vel oculis conspicitur, vel mente cogitur, adeoque omnia copulatim sumpta, in eodem vniuerso, sunt facta; aut non omnia, copulatim sumpta, sunt facta. Si non omnia huius Vniuersi copulatim sumpta, sunt facta; ergo saltem aliquid indefinite in eodem Vniuerso factum non est; quod est Deus. Si verò omnia copulatim sumpta, sunt facta; tum aut facta sunt ab aliquo extra numerum seu censum omnium eorum, quæ facta sunt, constituto: quod proinde factum non est: aut facta sunt, à seipsis, seu ab aliquo, aliquibusue eorum omnium, quæ in eodem Vniuerso facta sunt. Posterius hoc est impossibile; quia nihil potest fieri à seipso; nec vlla multitudo tota, ab aliquo, seu aliquibus, in ea ipsa multitudine comprehensibilis: quia hoc ipso aliquid inter ea multa comprehensibile, esset à se factum, vt pote contentum in ea multitudine, quæ tota ab eo facta dicitur: Ergo concedendum est prius; dari nimirum aliquid, extra numerum & censum eorum omnium, quæ facta sunt constitutum; quod proinde factum non est, & à quo cætera facta sunt; quod est Deus.

Hanc demonstrationem, ex vniuersitate rerum creaturam ex seipsa non productam, de sumptam, indicat sæpe scriptura, præsertim locis ad secundam assertionem supra citatis; & Apostolus Act. 14. v. 15. *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vestris conuerti ad DEUM vnum, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Et rursum idem Apostolus contra Athenienses disputans Act. 17. vers. 23. *Quod, inquit, ignoranter colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cæli & terra cum sit dominus, non in manu factis templis habitat; nec manibus humanis colitur, indigens aliquo cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia, fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, definies statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si forte atrectent eum, aut inueniant; quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, & mouemur, & sumus &c.*

Eandem rationem passim indicant SS. Patres. Grauitur Tertullianus apologet. cont. gent. cap. 17. *Quod colimus, Deus vnus est, qui totam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit; ratione, qua disposuit; virtute, qua potuit; de nihilo expressit, in ornamentum Maiestatis suæ; unde & græci nomen mundo nos uer accommodauerunt.*

Et de Platonici Philosophis S. Augustinus

lib. 8. de ciuit. Dei. cap. 6. *Viderunt, inquit, isti Philosophi quos cæteris non immerito fama atque gloria prelatos videmus, nullum corpus esse Deum; & ideo, cuncta corpora transcendunt, quæreres Deum. Fiderunt, quicquid mutabile est, non esse summum Deum; & ideo omnem animam, mutabilemque spiritum transcendunt, quæreres summum Deum. Deinde viderunt omnem speciem in re quacunque mutabili, quæ est, quicquid illud est, quoquomodo, & qualiscumque natura est, non posse esse nisi ab illo, qui vere est; quia & incommutabilis est. Ita per hoc siue vniuersi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumque motum, & elementa disposita à cælo vsque ad terram; & quacunque corpora in eis sunt, siue omnem vitam; vel quæ nutrit & continet, qualis est in arboribus; vel quæ & hæc habet, & sentit, qualis est in pecoribus; vel quæ & hæc habet, & intelligit, qualis est in hominibus; vel quæ nutritorio subsidio non indiget sed tantum continet, sentit, intelligit, qualis est in Angelis, nisi ab illo esse non posse, quo simpliciter est. &c. Et tandem concludit: Cum igitur in eorum conspectu, & corpus, & animus magis minusque speciosa essent, & homini specie carere possent, animo nulla essent, viderunt esse aliquid, ubi prima esset incommutabilis species, & ideo nec comparabilis, atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, & ex quo facta cuncta essent. Ita quod natura est Dei, ipsa manifestauit eis, cum ab eis inuisibilia eius, per ea quæ facta sunt, intellecta conspecta sunt &c. Similia habet S. Damascenus lib. 1. fid. orthod. cap. 3. Sed de hac re satis.*

#### D V B I V M V.

*Quæ sit ratio essentia diuina; & an formaliter includat etiam existentiam.*

S. Thom. 1. p. q. 2. a. 1. & q. 3. a. 4.

Non tractat quidem S. Thomas his locis ex instituto priorem huius disputationis partem, nec posteriorem, quæ ad existentiam Dei pertinet, exponit q. 2. vbi aliam de existentia diuina, sed q. 3. art. 4. vbi de simplicitate Dei disserit. Verum quia res hæc tam ad ipsam Essentiam diuinam, formalemque eius conceptum; quam ad existentiam Dei pertinet, necessario hoc loco, priusquam rationem diuinorum attributorum explicare aggrediamur, expedienda est.

Et primum quidem nulla dubitatio est, quin & Deus essentialiter sit Ens, ac substantia completa: & perfectiones illæ diuinæ, quæ respondet gradibus illis Metaphysicis, rationem substantiæ completæ comprehendentibus & contrahentibus, sint de ratione & formali conceptu essentia diuinæ, vt sunt esse substantiam, incorruptibile, incorpoream, viuentem, intelligentem. Quamquam cum nulla sit, aut esse possit substantia incorporea non viuens; aut non intelligens; rationes hæc posteriores non sunt ita proprie distincti gradus Metaphysici substantiæ incorporeæ subordinati; sed habent se potius, vt ratio-

nes partiales & inadæquatæ, in substantiâ incorporeâ incluse; adeoq; simul quodammodo cum ratione Incorporei contrahentes rationem communem substantiæ ad rationem substantiæ spiritualis; qualis nomine substantiæ incorporeæ intelligitur. Sicuti tamen in Angelo, & qualibet substantia spirituali, sunt de ratione, & conspectu ipsius essentia; ita sunt utique de ratione & conceptu essentia; diuina; etiam iuxta imperfectum nostrum concipiendi modum: quicquid nonnulli negent, rationem intelligentis, & viuents, prout dicunt gradus substantiales, distinctos ab actuali intellectu & vitâ, esse in Deo; quos refert & refellit Gill<sup>us</sup> lib. 2. Tract. 2. cap. 4. præter ea, quæ dicuntur à nobis inferiorius quæst. 8. dub. 1. & in simili quæst. 11. dub. 5.

2 Sed neque dubium est, quin præter hæc prædicata essentialia communia Deo & creaturis, sint etiam alia solius Dei propria. Primò enim tale prædicatum Dei est, *Ens increatum*, seu non productum: licet enim hæc ex vi nominis significant negationem, reipsâ tamen, & ex mente ac vsu loquendi, significant rationem positiuam essentialem, & intrinsecam Deo, ipsumque adeo positiuum essendi modum Deo proprium; quem quia distinctè ac prout in se est non intelligimus, explicamus per negationem, quæ ad illum ratione nostra quasi consequitur.

3 II. Tale prædicatum, imò formaliter idem cum præcedenti, est etiam istud, quo Deus dicitur *Ens ex se*, vel à se, vel perse. Neque enim hæc verba ita positiuè intelligenda, quasi Deus à se, vel ex se positiuè procedat vel dependeat; aliquo nimirum causalitatis seu originis genere; licet improprie ita locuti sint Lactantius lib. 1. Instit. cap. 7. & ferè S. Hieronymus in epist. ad Ephes. 3. vbi ait: *Deus sui origo est, suæque causa substantia*: Sed negatiuè; quia non est ab alio ut declarant & probant Anselmus in Monologio cap. 5. & Bernardus lib. 5. de consideratione, cap. 6. quia nihil sibi ipsi potest esse causa essendi, vel etiam aliquo modo positiuè, secundum rationem quasi formæ, nostro modo intelligendi: ita ut quia in ipsa ratione Deitatis includitur existentia, Deus dicatur esse à se, tanquam à ratione formali. Quo modo intelligendus Henricus Gandauensis art. 30. q. 1. Atque hoc ipsum prædicatum Dei essentialè esse, significauit etiam S. Gregorius Nyssenus, lib. de hominis officio cap. 16. vbi ait: *Quid igitur, in quo natura diuinae, & eius, quæ ad diuinam est conformata, discrimen perfici potest? illud verò in eo perficiet, quod DEI natura existit increata, hominum vero per creationem orta; hoc deinde discrimen alia quadam consequuntur.*

III. Tale prædicatum DEI est etiam, *Ens necessarium* possibili oppositum; cui videlicet intrinsecè repugnat non esse: quodque adeo absolutè & simpliciter loquendo, non potest non esse, idque ex hoc ipso ratione nostra sequitur, quia Deus est ens ex se, non ab alio, ut declarat Henricus Gandauensis quodlib. 8. quæst. 9. & Scotus tract. de primo principio cap. 3.

4 IV. Tale item prædicatum est, *Ens per essentiam*, prout distinguitur contra Ens non solum per accidens, sed etiam per participationem. Idque aliud non est, quam id, quod quicquid est, à seipso & seipso est, ita nimirum ut sit totum quod est; nec sit in ipso aliud quod est, & quod est, ut declarant S. Thomas lib. 2. contra gent. cap. 15. & 22. Ferrariensis ibidem, Heruæus in 1. d. 8. quæst. 1. art. 2. Caietanus 1. p. quæst. 44. art. 1. Nec dissentit Scotus in 1. d. 2. quæst. 3. Et quanquam hac ratione prædicatum hoc etiam videatur inuoluere attributum simplicitatis & infinitatis: ratione tamen ad huc ab utroque distinguitur, tum alijs modis; tum quod Ens per Essentiam; eo ipso, quod seipso totum est, quod est, secundum nostram rationem consequenter excludit compositionem & limitationem, in quorum negatione consistit attributum simplicitatis & infinitatis, ut dicitur. Atque eam rationem Entis per Essentiam speciatim quod totum Esse modo possibili includat, Deo tribuit etiam S. Dionysius cap. 3. de diuinis nominibus, vbi ait: *Nam Deus non quoquo pacto est ens, sed simpliciter & incircumscriptè totum in se Esse pariter ambit, & præambit super apprehendens.*

V. Tale prædicatum Dei est etiam, *Forma non formata*. Rationem enim formæ Diuinitati seu naturæ diuinæ tribuit Apostolus Philip. 2. v. 6. *Qui cum in forma Dei esset*: quod etiam proprie accipiendum, eo communi ac recepto loquendi vsu, quo docti omnes, tam Philosophi, quam Theologi, formas etiam separatas, & subsistentes vocant & agnoscunt. Et Rupertus lib. 1. in Exodum cap. 14. *DEI*, inquit, *substantia forma simplex est, sine ulla materia, ac proinde est, quod est*. Vocatur autem forma non formata, seu non formabilis; quia D E V S & natura diuina, non potest vllò modo compleri aut perfici; quia est totum quicquid est per essentiam: ut dictum, non per participationem: cum è contrario omnis forma, creata habeat aliquam informitatem & imperfectionem, & ita perfici & formari possit; quin hoc ipso etiam formata sit, quod ab extrinseco, nimirum ab ipso Deo facta & formata est. Vnde S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 16. *Sed forma, inquit, neque informis, neque formata, ipsa sibi æterna est, incommutabilisque substantia*. Et serm. 38. de Verbis Domini in Euang. S. Ioannis ait: *Est enim forma quedam, forma non formata, sed forma omnium formatorum, forma incommutabilis, sine lapsu, sine defectu*. Et lib. 2. de lib. arbit. cap. 17. *Conferitur itaque, ut corpus, & animus, formæ quadam incommutabili & semper manente formetur.*

5 VI. Tale denique prædicatum, & quidem cum priore ferè coincidens est; *Actus purus*. Est enim, actus, prout distinguitur hoc loco contra potentiam passiuam: forma, qua aliquid actu & formaliter est, ut colligitur ex Aristot. lib. 9. Metaph. tex. 11. Actus autem purus, est forma expers omnis potentia passiuæ, seu potentialitatis, vel perfectibilitatis. Cum ergo Deus sit forma expers

omnis

omnis potencialitatis & perfectibilitatis, rectè dicitur actus purus. Quo modo etiam prædicatum hoc Dei proprium esse docent Henricus in sum. art. 28. q. 6. & Abulensis qu. 8. in cap. 28. Deuteronomij. Eodemque sensu Richardus Victorinus lib. 2. de Trinitat. cap. 17. ait: *Quicquid in summo bono est, verè & summe unum est; nec ibi aliud & aliud esse potest; sed idem ipsum est totum quod est.*

Atque ad ea quæ retulimus prædicata diuina, referri etiam possunt alia quedam similia; ut quod Deus dicitur *Ens primum*, aut summum; item *Ens entium*. Licet enim hæc prædicata videantur comparatiua; simul tamen ipsam quoque essentialem Dei perfectionem denotant, qua fit, ut Deus omnibus alijs entibus antecellat.

Quod si inter eas ipsas rationes proprias & essentielles Dei, comparationem instituerimus, deprehendemus, priorem cæteris omnibus esse, rationem Entis increati, siue Entis ex se, modo explicato; hinc enim ratione nostra fit, ut *DEVS* sit etiam *Ens necessarium*; item *Ens per essentiam*; forma non formata, & actus purus. Quia quod est *Ens ex se*, non potest non esse, cum à nullo dependeat; nec potest etiam esse *Ens per participationem*; cum à nullo participet esse; ab ipso verò cætera omnia suum participant esse; denique non potest vlllo modo esse *Ens perfectibile* seu in potentia; quia non est à quo perficitur; nec potest etiam esse *Ens vlllo modo imperfectum*.

Quamuis autem disputent aliqui quænam sit ratio per se primò & completè, adeoque etiam vltimò quasi constitutiua essentia diuinæ, asserentibus quibusdam, esse ipsam intellectionem diuinam; alijs verò affirmantibus, esse infinitatem; quod sentit Argentina, quæst. 1. prolog. verius tamen videtur, esse ipsam rationem Esse diuini actualis interminati, seu actualitatem essentia diuinæ interminatam; seu ipsam actualitatem substantialis esse diuini, ut pluribus declarat Gillius lib. 2. Tractat. 1. cap. 12. 13. & 14. & Tractat. 2. cap. 4. Nam & hoc ipsum est actus quasi essentialissimus omnium perfectionis diuinæ: continet item & transcendit omnia, quæ ad essentiam *DEI* obiectiue pertinent; estque non solum primum inter diuina prædicata essentialia, quatenus ipsum; cum *Ens ex se*, & actus purus concipi non possit sine Esse; sed etiam vltimum: quia omnium prædicatorum quasi actus est & perfectio: eademque etiam ratio diuini Esse continetur in omnibus prædicatis essentialibus ipsius *DEI* hæcenus explicatis, nimirum Entis increati, Entis ex se, Entis necessarij, Entis per essentiam, formæ non formate & actus puri. Et licet in rebus creatis Esse existentia supponat esse Essentia; (quo modo etiam imperfectè admodum quandoque à nobis concipitur ipsa quoque diuina essentia, ut dicemus,) in Deo tamen reuera non supponit Essentiam, sed est ipsa essentia subsistens.

Quod si ratione nostra abstrahere velimus rationem attributorum ab essentia, tum actualitas

illa Esse substantialis diuini erit ratio vltimo constitutiua ipsius Essentia, non prout afficit quætorum Esse diuinum, seu totum id quod est Deus: sed formaliter ac præcisè, prout afficit, ipsum quasi gradum substantialem Intelligentis in Deo: qui ut sic non dicit rationem attributi, sed rationem essentialen Dei, nondum tamen omnino completam; sed quasi ratione nostra complendam per ipsam actualem Existentiam Dei.

Cæterum quia hæc doctrina supponit Existentiam esse de ratione & conceptu Essentia diuinæ, quod tamen ab aliquibus in controuersiam vocatur, est id ipsum etiam, vti posterior huius dubitationis pars requirit, diligentius inquirendum. Neque verò controuersia est de hoc, an Existentia identicè idem sit cum essentia diuina; quando etiam in rebus creatis Existentia identificatur cum essentia, imò ex veriori & communiori Philosophia, à parte rei planè idem est cum essentia actuali; nec ab ea plus quam ratione distinguitur: sed de duobus alijs est controuersia. Primum an Existentia Dei à parte rei saltem modaliter distinguatur ab Essentia diuina; etiam supponendo, quod ita distinguatur in rebus creatis. Alterum an secundum rationem nostram Essentia diuina præscindi & abstrahi possit ab existentia; ita, ut formaliter non sit de ratione & conceptu Essentia diuinæ.

Prius enim illud significant Mayron in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 2. Bargius eadem dist. & Trombetta, quem ibidem citat; & nescio an alij apud Bassolem in 1. d. 8. art. 2. Idem iuxta mentem Mayronis defendit Picus Mirandulanus Concluf. 8. Hi docent, Existentiam non esse de essentiali ratione seu quidditate Dei; sed modum eius intrinsicum; addunt alij, excepto Bargio, conuenire Deo in secundo modo dicendi per se, non in primo.

Alij verò quidam authores, etsi sentiant, existentiam à parte rei spectare ad essentiam Dei, & in ea re ipsa includi, existimant tamen, non esse de conceptu formali essentia; ac proinde docent, diuinam essentiam, nostro concipiendi modo, non includere existentiam, sed posse abstrahi ab existentia, vti de alijs attributis docebimus quæst. seq. Ita Heruæus in 1. d. 3. quæst. 2. Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 12. & significat S. Thomas in 1. d. 19. q. 2. a. 1. vbi docet, essentiam diuinam secundum intellectum esse priorem suo Esse. Fundamentum est. Quia in creaturis, à quibus sumimus cognitionem Dei, essentia est perfectio distincta ab existentia.

Assertio I. Existentia obiectiue & re ipsa est de intrinsecaratione Essentia diuinæ; nec est à parte rei inter hæc duo vlla distinctio. Ita ex communi Theologorum docent S. Thomas 1. p. quæst. 3. art. 4. & lib. 1. cont. Gent. cap. 22. Albertus in sum. tractat. 4. quæst. 19. & in 1. d. 2. art. 13. & d. 8. art. 3. Bonauentura in 1. d. 8. art. 1. quæst. 2. Henricus in sum. art. 21. q. 4. & art. 24. q. 3. Richardus in 1. d. 22. a. 1. q. 6. & d. 23. a. 1. q. 3. Scotus quodlib. q. 1. Bassolis in 1. d. 8. quæst. 1. a. 2. & 3. & comentatores. S. Thomæ in citat. locis. Et videtur assertio certissima, quam nemo fin

erroris periculo negare possit. Quam inprimis indicat ipsa scriptura Exodi 3. v. 14. *Dixit DEVS ad Moysen: Ego sum qui sum; & mox ibidem proprium Dei nomen vocatur, Qui est.* Et alias quoque scriptura peculiari ratione Deo tribuit existentiam. Iob. 14. vers. 4. *Nonne tu, qui solus es?* Et cap. 23. vers. 13. *Ipsa enim solus est;* nempe per ipsam suam essentiam. Idem saepe docent SS. Patres. Optime S. Athanasius orat. contra idola, post med. *DEVS autem, inquit, quae est ipsa essentia, nullis partibus coalescit: quapropter eius ratio ipsum esse est.*

9 Probatur etiam ratione. Primo. Si enim existentia à parte rei vlllo modo differret ab essentia diuina, nec esset de ratione intrinseca essentiae, sed ea aliquo modo posterior, tunc essentia diuina nullo modo posset habere existentiam: Non à se: quia in illo priori natura, quo antecedit existentiam, nondum habet existentiam; Ergo nec potest esse principium & radix, ex qua existentia quodammodo emanet. Nec aliunde; quia tunc DEVS esset Ens creatum: nec verò existentia diuina formaliter, ex se ipsa est, si ab Essentia distinguitur: quia, si Essentia diuina ex seipsa non est, nec Existencia erit, quae in illa fundatur, velut modus, vt auctores isti dicunt: nec vllus modus rei à seipso est, sed vel ab essentia, vel aliunde. Secundo si existentia à parte rei vlllo modo esset distincta ab essentia diuina, tunc Deus causaliter, non formaliter esset à seipso. Nam & ipse per essentiam esset causa suae origo existentiae: si vlllo modo admittamus DEVM nihilominus existere; & interim id, per quod formaliter est, non esset ipse Deus, sed aliquid ab eo reipsa distinctum.

Tertiò. Quia alias essentia DEI, secundum se & à parterei, esset Ens potentiale tantum; cui proinde secundum se non repugnaret non esse: quia omne ens, de cuius essentia non est Esse, potest non esse, vt etiam dub. praeced. dictum: id verò est impossibile. Si enim ponamus aliquando non esse Deum, implicat contradictionem, vnquam esse Deum: quia non potest à non esse reduci ad esse; nec à se, quia ponitur nihil esse: nec ab alio: tum quia si Deus non est, tum nec aliud quicquam erit; quicquid enim est, à DEO est; cum hic ex sua communissima notione, sit prima causa rerum omnium, vt sup. dub. I. & 4. dictum. Tum quia implicat contradictionem, vt DEVS dependeat ab alio: hoc ipso enim non esset ipsa causa prima independens. Si ergo existentia à parte rei non est de essentia Dei, tunc DEVS, cum nequeat esse Ens possibile, erit Ens impossibile, adeoque figmentum, vt Chimera. Nec est vlla ratio alicuius momenti, quae hanc assertionem impugnet.

10 Assertio II. Existencia est de ratione intrinseca essentiae diuinae, etiam iuxta nostrum concipiendi modum. Ita Henricus in sum. cit. art. 21. quaest. 4. & art. 26. quaest. 1. Richardus in. 1. cit. d. 23. art. 1. quaest. 3. Aureolus in 1. d. 8. quaest. 1. art. 4. Bassolis quaest. 1. & alij commu-

niter, qui docent, hanc propositionem *Deus esse*, esse per se notam nobis, quos retulimus supra dub. 2. Probatur. Primò. Quia existentiae ratio intimè includitur in ratione Entis increati, Entis ex se, Entis necessarij, Entis per essentiam, Actus puri; qui tamen omnes sunt formales conceptus Essentiae diuinae; quibus Deus essentialiter differt à creaturis, vt dictum. Secundo; quia Essentia diuina nostro etiam modo concipiendi, aut concipi debet vt Ens potentiale, quemadmodum essentia creatae; aut vt Ens actuale: primum est impossibile, ex dictis: Ergo verum posterius. Tertio Essentia diuina ita concipi debet, vt existentia cum ea reipsa saltem coniuncta esse possit; sed si abstrahat ab existentia, non est vnde coniungi possit: quia ab illa secundum se (cum vt sic nondum ponatur esse) non potest vlllo modo ratione nostra sequi existentia. Secus accidit cum alijs attributis. Quarto. Si existentia diuina ratione posterior esset essentia, tunc illa ex hac posset à priori demonstrari; sicut caetera attributa DEI: Sed hoc est impossibile: quia id, quod vt sic non est, non potest esse ratio ipsius Esse.

Neque contrarium reipsa sentit S. Thomas, alijque citati; loquuntur enim de Essentia diuina non adaequatè, sed prout praecise respondet Essentia creatae; seu prout habet communem rationem Essentiae, non huius Essentiae. Fundamentum etiam nihil concludit. Quia peculiaris ratio est existentiae, cur sit de ratione Essentiae diuinae, vt dictum: Praesertim cum alioqui etiam in substantijs creatis, non sit extra praedicamentum substantiae; nec Essentia diuina conceptus vlllo modo resolui possit, in aliquod Esse aptitudinale, in quod necessariò resoluitur ratio Essentiae creatae, vt dictum. Est ergo plane de ratione & Essentia diuinitatis ipsum Esse; ita vt DEVS sit suum Esse non solum identicè, sed etiam formaliter; nec verus & formalis conceptus diuinae essentiae concipi à nobis possit sine existentia; esto nihilominus ratione inter se differant, tanquam includens & inclusum: perinde fere vt homo & rationale: siue Ens particulare & transcendens; cum reuera existentia sit de ratione omnium perfectionum diuinarum, vt superius dictum.

